


Glauber, Johann Rudolph. Joh. Rud. Glauberi Annotationes in nuper editam Continuationem Miraculi mundi, secreta ibidem contenta, aurumque potabile verum, cujus simul mentio ibidem facta est, explicantes & defendentes : cum Brevis admonitione seu significatione incognitarum quidem, sed omnibus hominibus utilissimarum inventionum & secretorum, quæ in ipsius laboratorio publice & privatim demonstrabuntur : invidorum vervecum, ignorantium asinorum, & impudentum calumniatorum ora impudica obturandi causâ ab autore in lucem editæ.


Amstelodami, apud Joannem Janssonium, anno M DC LIX., 1659.

Cote : BIU Santé Pharmacie 11265-4 (2)

Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé (Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?pharma_011265x04x02





JOH. RUD. GLAUBERI
ANNOTATIONES

I N

Nuper editam Continuationem Miraculi
Mundi, Secreta ibidem contenta, Aurumque
Potabile Verum, cujus simul mentio ibidem facta
est, explicantes & defendentes :

C V M


*Brevi admonitione seu significatione incogni-
tarum quidem, sed omnibus hominibus utilissima-
rum Inventionum & Secretorum, quæ in ipsius La-
boratorio publicè & privatim demon-
strabuntur :*

Invidorum Vervecum, Ignorantium Asi-
norum, & Impudentum Calumniatorum
ora impudica obturandi causâ ab Authore
in lucem editæ.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM,
Anno MDCLXIX.



3

JOH. RUD. GLAUBERI
ANNOTATIONES.

AD BENEVOLUM
LECTOREM.



ERE dici solet, quod ille, qui ædificium aliquod ex lapidibus pulchrè constructum in viâ regiâ & communi ædificat suam structuram omnis generis hominum judiciis exponat, cum primis autem eorum, qui ne tuguriolum quidem, aut casulam rusticam construere novērunt. Quidam hunc nævum animadvertunt, alii alios errores commissos vident, & quisque ex suâ opinione judicat, invidiâ ut plurimum moti, ut ea contemnant, quæ neque habent, neque habere possunt.

Idem usuvenire solet iis, qui de rebus non vulgaribus, aut etiam incognitis scribunt, de rebus inquam, quas vulgus nunquam vel audivit, vel vidit. Mox enim audienda sunt ipsis hæc verba, quæ indomitæ, & effrenes linguæ effutiunt, & exsibilant, dicentes: Quis scit an etiam verum sit? Hæc dicendo significant, se quidem hæc captum suum superantia non percipere, sed tamen etiam non penitus rejicere & repudiare, quippe

A 2

adhuc

adhuc dubitantes , an forsan vera esse possent. Hæc ipsorum dubitatio malè non accipienda est , utpote quæ ex ignorantia , non autem à fastu aut invidia ortum suum trahit.

E contrario aliud perversorum hominum occurrit genus , qui sibi sapientes , & putativâ suâ scientiâ sibi plaudentes tam incognitas res non ex simplicitate aut ignorantia , sed ex merâ Diabolicâ superbiâ , odio , & invidia , summo contemptu despiciunt , idque ideò tantum , quia iis , qui majori rerum usu & experientiâ pollent , scientiam & cognitionem suam invident : Quod , proh dolor ! unicuique satis notum est , & quotidie in omnibus mundi locis usuvenire solet.

Contigit hoc etiam mihi , & quotidie contingit , ut homines tales invidia summâ inflati (si modo homines appellandi sunt) scripta mea utilia , & utiles doctrinas continentia invidiosè & odiosè contemnant , & falsa proclamant : Præcipuè verò quia in meâ Continuatione Miraculi Mundi nuper editâ de tanti momenti Secretis , agere , & tractare ausus fui , de quibus imperiti Vulgi cognitionem planè fugientibus ejusmodi subsannatores , & ignorantia Fratres ne gry quidem audiverunt , tantum abest ut aliquam saltem eorum cognitionem haberent. Hinc orta sunt omnis generis venenata judicia istiusmodi hominum , qui nec credere , nec animo comprehendere voluerunt , quod tam utilissima , & ignotissima Secreta in rerum naturâ essent , eapropter ex mera invidia & fastu

factu eadem, ut inutilissima & falsissima, repro-
baverunt.

Quia igitur contemptus tam Diabolicus non
solummodo mihi viventi admodum noxius est,
sed etiam post meum ex hac vitâ discessum nomi-
ni & famæ meæ haud exiguum damnum inferre
posset, consultum mihi visum fuit, dum adhuc
inter vivos versor, debitâ meis scriptis defensione
patrocinari, & invidis ejusmodi Fratribus igno-
rantia impudica sua ora eo pacto occludere, ut
coram toto mundo se turpiter dare, & in summam
ignominiam incidere cogentur. Quod hoc pacto
fiet, quando coram omnibus iis, qui veritatem,
& ejus defensionem amant, probavero, & de-
monstravero, ea, quæ proposui, & tradidi, ne
unquam quidem latum à veritate discedere, ac
facilia factu esse iis, qui aliquam saltem ignis no-
titiam habent. Quo facto non amplius opus erit,
ut mea scripta contrâ quemvis calumniatorem
defendam: cum alios, Deo volente; id facturos,
& veritatem, quam oculis viderunt, & manibus
palparunt, defensuros esse sciam.

Ut hoc effectui idem, meâ opinione nullâ com-
modiore & compendiosiore viâ uti possim, quàm
ut mihi de commodo loco prospiciens, spatiosum
& omnibus rebus instructum Laboratorium ex-
truam, ac bonum, & laboriosum operatorem in-
stituam, qui continuis laboribus in eo occupatus
Divina miracula iis ostendat, quos eadem viden-
di desiderium tenuerit.

A 3

In

In hoc igitur Laboratorio non tantum furni illi destillatorii artificiosi, & meum Prælum ligna exprimens atque instrumenta circulatoria ad Salem-petræ facili negotio conficiendum necessaria in conspectum dabuntur; Sed etiam illa ostenduntur, de quibus in meo Miraculo Mundi, & ejusdem Continuatione actum est, imò longè plura, quàm in Scriptis illis meis enarravi.

Equidem ejusmodi demonstratione facili negotio superfedere possem, cum meâ minimè referat, sive capita hujusmodi vervecina meis scriptis fidem adhibere, eademque laudare, aut fidem non habere, & eadem vituperare velint. Præterea me ad hanc defensionem suscipiendam impellit charitas Proximi mei, cui ad inserviendum & auxiliandum ità promptus & paratus sum, quàm promptos & paratos ad mihi opitulandum alios esse cupio.

Ac quoniam tale Laboratorium unius mensis spatio extruere non potero, & forsan tres, quatuor, aut plures elapsuri sunt, antequam id ad finem perducere queat, operæpretium duxi interea Divini & Naturalis Luminis studiosum admonere, ut ab Ignorantibus istiusmodi Asinis, ex viâ veritatis se abduci non patiatur, sed breve illud mei Laboratorii promissi tempus patienter expectet.

Ut itidem unicuique innotescat, quâ ratione veritatem demonstrare in animum induxerim, hisce notum facio, quod primò in meis artificiosis,

sis, & Philosophicis furnis, omnis generis artificiosa præparationes, & etiam utiles Metallorum transmutationes elaborandæ in manus sumuntur.

Clarè etiam demonstrabitur, quæ Auro Potabili meo adscripti, eadem verissima esse: Nimirum, quod Mercurius Crudus horæ unius aut duarum intervallo ejus operâ in purum putum Aurum converti possit. Nec hoc solum probabitur, sed etiam, quod dicto meo Auro Potabili vero, postquam Mercurius jam in purum & constans aurum mutatus & tinctus est, nihilominus adhuc magnæ vires supersint, hæ videlicet, quod quodlibet Arsenicum sive album, sive flavum aliquot horis in eo digestum ità mutetur, ut venenata ejus qualitas in Medicinalem & innoxiam mutetur, ut non amplius venenum sit, sed præstans medicamentum evadat, & omnibus venenis resistat. Neque tantum præstans medicamentum contra venenatos & incurabiles morbos, qui radicibus altè actis neque purgationibus, neque venæ sectionibus, neque sudoribus aliisque similibus medicamentis cedere sciunt, dum malos humores in sanguine, & aliis locis totius corporis tingit, & in bonos humores transmutat, ut in corpore manentes illud corroborarent, non autem ægrum reddant. Sed etiam hoc in Medicinam mutatum, & conversum venenum virtutes suas in Metallis ostendit, si fuso Cupro injiciatur, quod effusum, & in cupellâ Saturno adjuncto

probatum aliquid boni Argenti & Auri relinquit. Duæ hæ sunt probæ quæ omninò ad mei Auri Potabilis defensionem maximè sufficerent.

Ut autem aliquis de hac re adhuc certior fieri possit, post hæc duo experimenta, nempe Mercurii coagulationem, & transmutationem in putrum putum Aurum, & venenati Arsenici in tutum Medicamentum conversionem, adhuc tertium, & quidem incredibile eodem Auro Potabili jam bis ad usum adhibito tentari potest non in vilibus & exiguis venenis, sed periculosissimo illo, ac hominibus, bestiis, & omnibus viventibus rebus infensissimo, Mercurio puta Sublimato, qui aliquot horis in dicto Auro Potabili digestus omne suum horribile, & formidabile venenum deponit, atque in tutum purgans aut Diaphoreticum Medicamentum abit, amissis pristino albo colore, & veneno suo corrosivo, dum pulvis ruber, & dulcis evadit, podagram, morbum Gallicum, lepram, & alios detestandos morbos purgans, & Saturnum aliquo modo Aureâ tincturâ imbuens. Sic & album Arsenicum post digestionem, colore suo albo deposito corrodentem facultatem suam amittit, & in pulverem dulcem, & flavum mutatur.

Hæc experimenta, atque hæ probæ bonorum medicamentorum studiosis non occulta esse, sed in æternum & immortale testimonium veritatis, contra omnium Sophistarum, & Vervecum Ignoran-

rantium mendacia & calumnias manifestari debent.

In oculorum intuitu jam versatur acutissimus Veritatis gladius, cujus aciem si quis sentire desiderat, in medium progrediatur; Facilis & grata mihi erit Veritatis defensio, si vel totius Mundi malitia universa se mihi opponeret. Provoco hinc omnes illos calumniatores, qui Diabolico odio, & invidiâ impulsî meis verissimis scriptis se opponere conantur. Cum mendaciis suis in apertam lucem, & totius Mundi conspectum prodeant, & simile aliquod experimentum ostendant, qualia me ostensurum hinc polliceor, ut videamus, quàm turpiter se daturi sint, instar tenebrarum in clarissimo Solis splendore evanescentium. Si in potestate ipsorum non fuerit situm, (qui aliquam rerum notitiam habet, bonum non contemnit) sicut etiam situm non est, & etiam factu impossibile erit, eò quod nihil sciunt, par est, ut venenatas suas linguas in posterum compescant, & ea, quæ neque sciunt, neque intelligunt, calumniari desinant.

Intelligo hinc non solum Farnerianos illos Ignorantiæ Fratres, apertos, & manifestos veritatis hostes: Sed etiam eos, qui à fronte amicitiam suam profitentur, ac judæ osculis se amicos mentiuntur, à tergo autem venenatis suis linguis veritati lethalia vulnera intentant. Haud exiguus eorum est numerus, qui clandestinis molitionibus veritatem extinguere conantur, & hypocri-

ticâ suâ simulatione nihilominus summam amicitiam præ se ferunt. Sed à Fratribus ejusmodi ex fallaciis & fraudibus quasi penitus compositis quis sibi caveret? Apostolus Paulus querelis frequentibus manifestè satis declarat, quanta & quot sibi pericula ab ejusmodi hominibus imminerint. Annon Christus, Veritas ipsa, ut & omnes ipsius affectu illorum ipsorum fraudulentæ, & fallaci malitiæ expositi, & obnoxii fuerunt? Num igitur melius quid de his præsentis mundi facibus polliceri nobis audebimus? Præsens tamen inveni, & certum remedium tantis incommoditatibus opponendum, nimirum ut nulli homini post hac fidem adeò facile adhibeam, ac quamplurimis tuto & fido silentio præteritis, ea tantum dicam, quæ mihi vi summâ extorquentur: Quod quidem hic mihi uluvenit cum potentissimo Auro Potabili, quod per totam vitam meam dissimulassem, nisi tot homines invidi venenato suo sputo illud occidere conati fuissent. Huic veneno ingentes & inauditas ejusdem mei Auri Potabilis virtutes, tanquam Antidotum præsentissimum, opponere, eâque occasione toti Mundo ob oculos ponere coactus fui.

Memoriæ proditum est, antè aliquàm multos annos Wormatiæ Judæos Christianum puerum furtim abstulisse, congregatisque suis Rabinis, & Sacrarum Literarum interpretibus consultasse, quàm infami morte puerulus innocens afficiendus esset. Tandem cruci affixo, ut Servator noster olim

olim affixus fuit, etiam post multos dolores & cruciatus, quibus misellum excruciarunt, latus perfoderunt, sanguinem ex perfosso latere emanantem excipientes. Non diu tamen horrenda cædes illa occulta mansit, utpote quâ haud diu post patefactâ Judæorum Rabini, & Seniores capti, & meritâ poenâ affecti sunt.

Crudelitatem ferè eandem expertum est meum Aurum Potabile, sive Infans Philosophicus, à nonnullis deprehensus, & crudeliter excruciatu, qui tamen nullum ex eo Aurum exprimentes spe conceptâ frustrati sunt. Ac quanquam Samriones, & Suggillatores isti meum Aurum Potabile, quo Mercurium in Aurum transmutare non potuerunt, multis fannis & convitiis pessimè tractarunt, omninò sibi persuadentes, quod jam penitus vitâ suâ spoliatus esset, ille meus Infans Philosophicus, quo nomine ipsum in Tractatu meo insignivi: Se ipsos tamen vehementer fefellerunt, dum Infans ille Adolescens jam factus sibi ipsi propriâ defensione patrocinari potest, cum quotidie hætenus & ætate & viribus accreverit. Si Deus voluerit, temporis progressu bellicosus heros, atque Rex evadere poterit. De infantibus, quales olim futuri sint nemo facile judicaverit. Seris venit usus ab annis: Temporis & annorum decursus tandem cuncta manifestant. Invidorum istorum calumnias mendacissimas facile tamdiu patior, donec experienciâ contrarium monstrante à propriâ suâ conscientia convincantur, aliudque & me-

& melius velint, nolint, judicium ferant. Idcirco non tantum nominibus ipforum parco, verum & ipsas urbes fileo, in quibus domicilia sua habent; quia nescientes, quid fecerint, ex merâ invidiâ immaturum & stultum judicium tulere de iis rebus, de quibus planè sibi incognitis nihil notum exploratumque habuerunt.

Nec mirum est, Calumniatores hos Mercurii in Aurum coagulationem tentantes errasse, cum mihi quandoque acciderit, ut duabus aut tribus vicibus se invicem sequutis erraverim, & effectui dare transmutationem illam nequiverim, donec eorum causæ mihi innotuerint. Ob nimiam enim festinationem si humiditas Auri Potabilis nimis citò exhalaverit, & evanuerit, Mercurius exsiccatus non satis penetrari, & penitus tingi potest.

Error quoque committitur, si vitrum completens Mercurium, & Aurum Potabile nimis citò incalascit, ut Mercurius cum Auro Potabili ebulliat, exiliat, nimio motu se dispergat, & in pulveris formâ se exhibeat, cum tamen in rotundam massam concretus fundo insidere deberet.

Sic graviter errabit, qui non purum & mundum adhibuerit Mercurium, sed adulteratum, & sordibus multis inquinatum, quæ impedimenta tincturæ ingressum denegant, ac tentamen incertum atque irritum reddunt. Id propter necesse est, ut Mercurius cum sale & aceto prius in ligneâ patinâ, aut lapideo mortario probe teratur,
& omni

& omni suâ nigredine accuratâ lotione liberetur, quò tincturam eò facilius admittat.

Ad hanc operationem admodum aptum deprehendi Mercurium illum, qui per fulmen Jovis sublimatur, & celeri ingressu à meo Auro Potabili totus tingitur.

Mira profecto est Calumniatorum illorum & inscitia & audacia, quod falsis suis clamoribus tam falsos rumores spargere, & dicere audeant, Mercurium à meo Auro Potabili non revera in Aurum tingi, sed Aurum, quod in Auro Potabili antea fuit, se Mercurio applicare, & ipsum aliquatenus coagulare, sed non constantem & fixum reddere. Rusticus sanè, & minimè prudens est hic sermo, ex quo unicuique leviter saltem in Mercurii & Auri tractatione versato, superbiorum illorum hominum stultitia, & ruditas satis superque innotescit.

Si invidi illi Asini Mercurium, & Aurum aliquâ duntaxat parte nossent, prius ad meliores se meditationes revocarent, nec aures suas asininas denudando tam turpiter fœdarent, ea contemnentes, quæ ipsorum cognitionem planè fugiunt.

Quamvis autem Invidos ejusmodi Asinos nominibus suis propriis non notem, satis se tamen notos, & manifestos reddiderunt, audacter admodum inficias euntes Mercurii in Aurum verum, mei Auri Potabilis auxilio, coagulationem. Si Aurum Vulgare aquâ solutum facili negotio
Mer-

Mercurium coagularet, quid ulterius petendum aut quarendum esset? Sed longè à scopo tentamen tale aberrat, quandoquidem in omnibus ejusmodi solutionibus Aurum Mercurio injecto per præcipitationem in digestionem adhæret, atque cum eo in album Amalgama abit, Mercurio in suâ pristinâ naturâ constanter perseverante, & vel minimam in Aurum transmutationem admittente, id quod rusticorum cognitionem & captum non superat, sed intellectu difficile est putatis illis doctoribus, talia fidem omnem superare credentibus, quos effrictæ frontis homines veritati tam manifestæ tantâ pertinaciâ se opponere nec unquam piget, nec pudet.

In vulgus notum est, purissimo Auro ne minimum quidem suppetere præter ea, quibus opus ad sui defensionem habet: Imò tantum ipsi vitium non inesse, ut vel minimum metallum emendet, aut fixum & constans reddat; tantum abest, ut Mercurium, qui omnes Alchymistas, & Sophistas ridet, & ludibrio habet, in Aurum coagulet. Ex utroque album fit Amalgama, non autem in igne constans, durum, & flavum Aurum. Qui mihi non credit, rem ipsam experietur, quam verbis meis responsuram inveniet.

Ad hæc accedit, quod Corporale Aurum omnem per Nitrum fixum, ex quo Aurum meum Potabile paratur, solutionem respuat, quæ si tamen possibilis esset, Aurum in eâ non occultaretur,

retur, sed solutionem flavam ostenderet, ac cutem, quam attingeret, subrubro, aut aliquantum ad nigredinem accedente colore inficeret, quod meum Aurum Potabile non facit.

Ejus itaque virtus tingens non in Corporali Auro, sed in Auræ Tincturâ, ex Primo Auri Ente in Astralem Essentiam Artis beneficio conversâ consistit. Simili omninò ratione fieri potest, ut Lunæ Astrum argenteâ naturâ Mercurium induat, Astrum Veneris ipsum in Cuprum transmutet, Martis Astrum in durum ferrum eundem convertat, Jovis Astrum ex ipso Stannum faciat, & Astrum Saturni plumbeâ naturâ ipsum vestiat. Mercurius enim in Metallum illud transmutatur, cujus Astro Metallico imponitur.

Sic Mercurii Astrum omnia Metalla in Mercurios currentes & vivos transformat, licet hæc ipsa transmutatio parum, aut nihil utilitatis afferat. Nihilominus in animum induxi omnium Metallorum Astra parare, ac ipsius Artis ac Naturæ potestatem, occasione datâ, Veritatis Studiofis monstrare, atque ità Mundo manifestare. Astra Metallorum ex primis ipsorum Entibus extracta non sunt amplius Metalla, sed animæ ipsorum tingentes, quæ demum apud Mercurium Corporalia Metalla evadunt.

Hoc verum & genuinum est fundamentum, cui tota mei Auri Potabilis structura fulcitur. Sicut igitur purum Aurum aureæ suæ naturæ Mercurium participem reddere nequit; Sic neque Argentum,

gentum, neque Cuprum, neque aliud Metallum Mercurio suam naturam communicabit, sed illud præcipitatum tantum ad se attrahet, nequaquam verò mutabit. Hinc Philosophi Veteres tradunt, Metallorum tincturas non in ipsis Metallis, sed in ipsorum Primis Entibus quærendas esse. Fratris Basilii Valentini dictum est notissimum.

Quod Prima Entia non efficiunt,

Hoc Aurum & Argentum non faciunt.

Ad hoc attendendum est illi, qui voti compos fieri, & aliquid boni acquirere desiderat.

Ex his omnibus videre est, quod meum Aurum Potabile ex Primo Ente Auri per artem in Astralem Tincturam conformatum optimum debeat esse Medicamentum; sicut etiam illud tale esse jam prolixè demonstravimus.

Nam si nihilo melius esset vulgari Solutione Auri, Mercurium in verum Aurum non mutaret, nec etiam potentissimum venenum in optimum Medicamentum transmutandi potestatem haberet. Proculdubio talia Medicamenta, quæ ex vehementissimis venenis in tam salubrem naturam mei Auri Potabilis adjumento mutata sunt, tanquam Antidota aliis venenis, & morbis summâ pertinaciâ inhærentibus potentissimè resistunt, & summâ cum admiratione in usum Medicum adhibentur. Quid commodi afferret, si vel centies stercorea expurgarentur, & morbi tamen in stercoreis non consisterent, nihilominus locis suis inhæ-

inhæfuri, nec ita cefſuri, niſi propriis ſuis ſedibus exturbarentur. Sic nihil omninò proficeretur, omnem ex corpore ſanguinem per venæ ſectiōnem dimittendo, ſi in ſanguine morbus ſedem ſuam non haberet. Imò ſi in eodem domicilium fixiſſet, idemque totus corruptus eſſet, omnis labor irritus foret, qui ſanguinis ejuſdem emendandi cauſâ ſuſciperetur. Omnis enim ſanguis ſine vitæ periculo dimitti ex corpore nequit. Si exempli gratia de viginti, duæ aut tres libræ relictæ fuiſſent in corpore, cibus & potibus ſanguinem facientibus emendandæ, & bono iterum ſanguine augendæ, eventus tamen conatui tali non reſponſurus eſſet, eò quod accreſcens ſanguis à priore corrumperetur. Documento eſt dolium aceti acrimoniâ imbutum, ex quo ſi omne acetum depromeres, relictis ſolummodo ſecibus, ut ſenſim nobile, & generoſum vinum ei infunderes, hoc ipſum proſectò à paucis illis ſecibus plane corrumperetur, & in acerrimum acetum tranſmutaretur. Eodem planè modo comparatum eſt cum morbis illis fixis, qui tam altas in corpore humano radices egerunt, ut nec purgando, nec venas ſecando, nec ſudando, neque etiam unguendo, & quidvis illinendo tolli queant. Ex iis igitur locis, quibus pertinaciter inhærent, Tincturarum aut Aſtraliū Medicamentorum ſubſidio, ut ſupra cum Mercurio, & Mercurio ſublimate factum eſt, tingendi ſunt, atque emendandi, ut ibidem manentes meliori naturâ & qualitate

B

indutâ

indutâ corpori nullum amplius damnum inferant.

Atque hæc via illa vera est recto tramite ad incurabilem, & radicitus corpori inhærentium morborum curationem veram, & genuinam progrediens. Non tamen ità quis velim intelligat, quasi omnem purgationem repudiandam judicem. Purgationes enim debito tempore in usum adhibitæ nunc ut plurimum haud parum commodi afferunt. Ipsa venæ sectio tempestivè usurpata utilitate suâ non caret. Abusus sæpè damni haud exigui causa est, atque haud rarò immaturam mortem accelerat.

Porro haud contemnendum de veritate mei Auri Potabilis explorandâ experimentum est, quod sequitur. Laminæ argenti parvulæ affrica vulgarem Mercurium, reliquiasque ejus majori, quàm par est crassitie adhærentes linteolo remove, more aurifabrorum, aureo Amalgamate argentum deaurantium : Laminam argenteam Auro meo Potabili per dimidiam, aut totam horam digere, digestamque exime, quam pulcherri-
mo colore aureo obductam videbis. Mercurius enim in hæc digestionem non incandescit, eâque de causâ per fumum non evanescens laminæ argenteæ adhærescit, & à meo Auro Potabili in optimum aurum tingitur. Eandem operationem tenta cum aliâ laminâ argenteâ Mercurio vulgi obductâ, eamque digere in solutione Aurum corporale continente, ut experiaris, an lamina illa pari
ratione

ratione se deauratam ostendat. Nam laminam albam exempturus differentiam incredibilem deprehendes.

Ejusmodi experimentorum plura hîc adjicere possem, si operæprætium mihi videretur Lectori prolixis ambagibus obtundere. Si Aurifabri vasa sua argentea hoc pacto, coctione puta tali in solutione aurum corporale complectente deaurare possent, procul dubio missum facerent vulgarem illum deaurandi modum per Amalgama auri cum Mercurio, quod venenato suo fumo Mercuriali corpus humanum occupante eos, à quibus tractatur, plerunque in periculosos, & longam moram trahentes morbos conjicere solet. Sed quia ejusmodi aureis solutionibus nihil efficere possunt, earum usu supersedere, & usitatâ ac veteri deuratione acquiescere coguntur.

Sed multa verba facere de hâc re notissimâ operæpretium non arbitror: cum non lateat, etiam eos, qui vel levi digito Mercurium tractarunt. Res autem ipsa evidentissimè demonstrat, Asininos ejusmodi osores nunquam, Mercurii naturam cognitam, & exploratam habuisse, licet ad cò audacter, & tam effrictâ fronte aliorum sudores & labores sugillare, & in contemptum adducere moliantur. Unde cuivis facilè patet, quid negotii illi futurum sit, qui Asinis his tenebris plusquam Cimmeriis immerfis accendere studet candelam, quam antea nunquam aspexerunt.

Pauca hæc Auri mei Potabilis, quod quartus & ultimus in meâ Continuatione Miraculi Mundi est articulus, defendendi gratiâ in lucem edere coactus sum, ut cuius innotescat, me nimis multa meo Auro Potabili non attribuisse, sed longè plura eodem præstare posse, ad cuius rei veritatem exhibendam me promptum offero. Dignum profectò, imò dignissimum hoc est medicamentum, quod Magnatibus tanquam donum pretiosum offeratur.

Quod ad tertium Processum in dicto opusculo, quem Medicis, & civibus, ut cum victu & amictu necessario & honesto etiam bona Medicamenta in Generis Humani usum sibi negotio facili comparare queant, attinet, dilucidè & satis clarè descriptus est, adeò ut ne minimum quidem oculat. Fidem adhibere, & rem tentare nolentem cogere nequeo; Rerum tamen mearum sategi, qui si in juventute meâ talem manuactionem nactus fuissèm, qualem hætenus aliis subministravi, & adhuc subministro; Naturæ investigandæ tantos sumptus, tantosque labores, cum pessimo fœtore, & vitæ meæ periculo summo impendere coactus non fuissèm. Afferro autem rursus firmiter illud, quod hætenus sæpius asserui, quod per incensionem Salispetræ cum Stanno, & Mercurio multum Auri & Argenti acquiratur, quod frequenter feci, & adhuc facere possum, suoque tempore Amicis publicè in meo Laboratorio id me demonstraturum polliceor.

Alte-

Alterum punctum, quo docui, quâ ratione divites suum Aurum, & Argentum multò tutius, quàm fœnerando fieri solet, augere valeant, verè & candidè revelavi, nec quicquam reticui, excepto parvo errore, qui quoad pondus & species irrepsit. An descriptoris culpa sit, an verò illius, qui typos in ordinem digessit, ignoro; nec magni etiam refert, cum ipsa operatio secundum illud pondus non minus succedat, unâ hac re exceptâ, quod plus Salispetræ consumendum sit, quam si cupri tantum non fuisset additum.

Primæ editionis Recipe tale erat : $\mathcal{R}$. Auri partem unam, Veneris partes duas, Reguli Antimonii partes tres, quod itâ mutandum : $\mathcal{R}$. Veneris partem unam, Auri duas partes, aut Lunæ, Reguli Antimonii tres partes : Hæc commixtio genuina est, & vera, nec tantum Salispetræ requirit, ut in fluxu conservetur ; Augmentum autem quotidianum haud est contemnendum. Sic longè tutius ac facilius hoc pacto, quàm fœnore, & mercaturâ exercendâ, quæ duo media & periculis, & peccatis obnoxia sunt, Aurum & Argentum augeri possunt.

NB. Alias autem vias, aliosque modos esse, quorum adminiculo sine magnis sumptibus, & & laboriosâ fusione per ignem, molestoque mercaturæ exercitio, aut aliis animæ salutis nocentibus divitiæ acquirantur, neutiquam inficias eo. Similes enim passim in diversis Scriptorum meorum locis sunt obvii, præsertim in secundâ,

B 3

tertiâ,

tertiâ, & quartâ parte Prosperitatis Germaniæ, ubi præstantis operis mentio facta est, quo adjuvante honestus victus & amictus in summâ tranquillitate, sine ullo strepitu, fusione, & flatu obtinetur, quidem auxilio cujusdam aquæ, ex arena, terra, argilla, lapidibus, & mineris aurum & argentum sine magno labore & magnis sumptibus extrahentis. Ac quamvis nulla omnino talis terra, arena, aut nulli lapides suppeterent, aurum & argentum continentes, ex quibus hæc fusione vulgari non possent elici; tamen vix nullus in Mundo locus reperiatur, in quo materiæ illæ non occurrant; Nulla tamen est inopia Plumbi, & Stanni, ex quibus duobus omni tempore, & omnibus in Mundo locis Aurum & Argentum dictæ aquæ Salispetræ auxilio extrahi possunt, quæ præstans, & toti Mundo utilissima ars ne mecum intermoriatur, operam dabo, eaque de causâ eandem aliquot Amicis jam conspiciendam exhibui. Præstans, imò præstantissima est ars, qua non modo divites sed etiam pauperes sine proximi incommodo sibi de victu & amictu prospicient. Nullæ divitiæ, nullæ facultates, nulla bona, quorum jactura fieri solet, cum ea comparanda sunt: Quotidiana hujus rei experientia exemplorum affatim suggerit. Longè igitur satius foret, se & suos honestis ejusmodi mediis sustentare, quàm injustissimo scœnore animam suam Diabolo sacrificare, quod Christus evidenter significat, dicens quod peccatum
inter

inter emptorem & venditorem hæreat, sicut parietis clavus inhæret.

An bellum non necessarium, quo de regioncula aliqua, aut etiam vano honore tanta sanguinis profusione decertatur, tantæ sit necessitatis, omnibus Christianis bonæ conscientiæ rationem habentibus dijudicandum relinquo. In mutuas cædes ruunt, qui mutuis læsionibus nunquam irritati causâ lucelli parvi digladiantur. An tales actiones Deo placeant, tandem manifestabitur. Quàm quiete, & quàm bona conscientia se domi sustentant, qui manuum suarum laboribus vivunt. Bona conscientia exiguis facultatibus fruens conscientia malæ, vel totius Mundi possessione gaudenti, longè præferenda est. Sed præsens hic Mundus perversus dicere non erubescit, possidere & habere rem esse gratissimam: Nihil verò pensi habet, si per fas, si per nefas quæditorum compotes fiant, modo possideant. Deus nobis magnam honestorum mediorum copiam suppeditavit, quibus sine proximi nostri incommodo, sine fœnore, fraude & cædibus, nostram vitam sustentemus, si modò in manus operationem ipsam sumere vellemus. Sed ad otium plurimi hominum nimis proclives sunt, pulvinar Diaboli verissimum, qui in eo quiescens in omnis generis peccata & vitia humanum genus præcipitat. Annon Apostolus Petrus dicit; Qui divitias quærunt, in Diaboli retia incidunt, Mihi persuadeo, quod Deus præsentem

Mundum abominetur, & in conspectu suo diutius ferre nequeat. Ideò cœcitatem & malitiam hominum, quæ tanta incrementa sumpsit gravissimis suppliciis afficiet, & maximam mortalium partem igne & gladio delebit, servatâ parvâ piorum turbâ, quam reliquam ira ipsius faciet.

Equidem hîc promitto, quod in futuro meo Laboratorio Publico Secreta & Arcana mea, quæ publici juris feci, ostendere & demonstrare velim. Nemo tamen sibi persuadeat velim, me sine ullo discrimine quemvis ignotum, undecunque etiam, & quocunque ex angulo arrepperit, ad hanc demonstrationem admissurum esse. Eò certè meum propositum non tendit, utpote quin inter inimicos & amicos discrimen observaturus sum. Probè itidem cavebo, ne Farneriani Nebulones fallaces, qui beneficia accepta à me mendaciorum plaustris compensant, & me, ubicunque possunt, damno haud exiguo afficiunt, fallacibus suis technis se insinuent. Eos duntaxat admittam, quorum pietas, & candor vel mihi ipsi progressu temporis innotuerunt, vel ab aliis piis & notis amicis commendabuntur.

Haud parum laboris, & molestiarum mihi ipsi non dubito quin acerfiturus sim & quidem Veritatis demonstrandæ causâ iis, qui postea ejus contra calumniatores defendendæ patrocinium suscipiant. Hîc admonitionis loco Benevolus
Lector

Lector sciat, quod Lapis Philosophorum in meo Laboratorio minimè quærendus sit, nec me etiam ipsum parare in animum induxisse, quippe qui tantis Secretis investigandis nunquam invigilavi, nec hætenus invigilo, iis acquiescens, quæ Deus largiri mihi voluit. Si ipsi autem placeret majoribus me donis locupletare, eadem non repudiarem, sed ad ejus honorem & proximi commodum legitimè usurparem. Ea, quæ in publicum edidi, & multis incredibilia videntur, ideò se veritati opponentibus, & cuncta mendacii arguentibus publicâ demonstratione, & defensione à mendaciorum calumniis vindicabo.

Porro præter Laboratorium meum Publicum adhuc aliud Secretum institutam, in quo Amicis longè subtiliora & præstantiora iis, quorum mea scripta mentionem fecerunt, monstrabuntur. Atque hac ratione unicuique, dummodò laborem suscipere, & diligentiam adhibere voluerit, sine proximi sui incommodo largè & commodè de honesto victu & amictu sibi prospicere licebit.

Rara quoque & hætenus nunquam visa Naturæ miracula, ut Vegetabiles & Minerales plantæ ostendentur: Exempli gratiâ:

Vegetabiles, & Metallicæ naturæ, de quibus in Tractatu de Naturâ Salium egimus.

Herbæ ex duris filicibus, imò ipsis ferri frustis enatæ.

Metalla paucis horis, ut Vegetabilia, aquæ cu-

B 5

jusdam

jusdam ope nascentia, de quâ liquoris silicum descriptio mea in secunda Parte Furnorum videatur.

Metalla paucarum horarum intervallo, ut herbæ, sine omni peregrinâ additione enascentia, ut in Cupellæ proba nihil plane ipsis decedat.

Compendia haud vulgaria, & operationes manuales in destillatione præstantissimorum spirituum ad Alchymiam æquè ac ad Medicinam utilem, quales sunt Spiritus Nitri, Spiritus Salis, Aqua Fortis, Aqua Regis, & similes, adeò celeriter & facile destillandi, ut etiam duabus aut tribus carbonum libris per cucurbitam & alembicum ex arenâ singulis horis spiritus libra una destillari possit, Spiritus inquam adeò puri, suavis, & clari, ut nulla rectificatione opus habeat.

Cum hoc & inauditum sit, & à vulgaribus Chymicis pro re incredibili habeatur, intermittere non possum, quin tantum hîc indicem, ex quo hoc fieri posse appareat.

Esto, quod mihi aliquot libris Spiritus Salis opus sit, occasio mihi desit, & ignis vi, & temporis progressu eum parandi, sequentem præparationem usurpo. Magni & diuturni ignis loco utar arte Separatoriâ purum ab impuro sejungente, Salem vulgarem culinarium, aut Salempetræ purum solvens aquâ vulgari, & solutioni in cucurbitam immissæ addens sulphur separatorium. Cucurbitâ cum alembico, aut retortâ, per quam
hæc

hæc destillatio etiam perfici potest, arenæ impositâ ignem subjicio, ut aqua illa salem continens bulliat, atque ita à Sulphure intercoquendum puriores ab impurioribus partibus segregentur. Puriores illæ partes admodum fugaces redduntur, atque spiritus admodum suaves, & clari transcendunt. Crassior, terrestrior, & fixior Sal in cucurbitâ, aut retortâ remanet, mirabilis admodum naturæ & proprietatis. Atque hæc ratione facili negotio ex una Salis, aut Salispetræ libra, una Spiritus Salis, aut Spiritus Nitri libra destillari potest. Ex mediocri cucurbita decem horis decem Salis, aut Salispetræ libræ decem Spiritus libras dabunt, qui duo Spiritus Salis nimirum, & Salispetræ commixti Aqua Regis fieri solent: Ita tantum tibi Spirituum una destillatione comparabis, quanta cucurbita tua fuerit. Qui ipsa destillatione aquam Regiam parare cupit, eidem æquales, Salis & Salispetræ partes in aqua communi solvendæ, atque ex cucurbita aut retorta destillandæ erunt. Compendium profectò est præstantissimum omnibus iis, qui horum spirituum copia indigent. Aurum, Argentum, ac cætera metalla cuncta sine Aqua Regis, aut Aqua Forti, similibusque spiritibus quorundam Salium in aqua solutorum ope solvi possunt, quæ profectò præstantissima quoque est inventio.

Sic etiam cum cæteris rarioribus experimentis, de quibus suprâ mentio facta est, comparatum esse dicimus: Exempli causâ, si metallum
in

in altitudinem excrefcere debet, ipfi aliquod contrarium addendum erit. Hoc enim ſibi contrarium dum fugit, ex maſſa ſurgendo excreſcit tam in ſicca quàm humida via.

Si volumus, ut ex duro Metallo, aut dura ſilice herba naſcatur; Metallum, ſive Aurum, Argentum, Cuprum, Ferrum, Stannum aut Plumbum fuerit, & ſilex prius in tenerum pulverem per Sales redigantur, pulviſque ille in terreo vaſe peculiari quadam aqua humectetur oportet, cui humectato herbarum ſemina inferenda, quæ poſtquam ad perfectionem ſuam naſcendo pervenerunt, ab humectatione ulteriore ceſſandum, pulviſque Solaribus radiis exponendus eſt, qui Metallum ruruſus, aut lapis durus, alii Metallo, aut lapidi planè ſimilis, evadens, inhærentes herbæ radices complectitur, atque in admirationem rapit ignorantes quo pacto herba ex ejuſmodi fruſto Argenti, Auri, Ferri, Cupri, aut duræ Silicis enaſci poſſit. Hoc quoque certum eſt, atque indubitatum, quod dictæ herbæ ità enaſcentes ex Metallis eorundem ipſorum naturam & proprietates obtineant, ex quibus naſcendo exortæ ſunt.

Dicta herbarum ità creſcentium experimenta licet nihil divitiarum afferant, nobiles tamen Naturæ & Artis ſunt operationes in reſeſſu plus habentes, quam fronte primâ pollicentur, ideò non fruſtrà hîc à me appoſita, utpote quæ haud parvi momenti res innuunt, ut facilè quivis conjectura providere poterit.

Ut

Ut autem aliquam saltem hîc mentionem faciam de facultate hac crescendi Vegetabilium, & Metallorum, hoc cuivis velim notum sit, in Publico meo Laboratorio conspicienda exhibitum iri omnigenarum herbarum semina, cum primis verò frumentorum, ut avenæ, hordei, sili-ginis, tritici, & aliorum, quo nimirum pacto ita sint præparanda, ut celerem nascendi facultatem acquirant, ac unum granum non solum unum, sed decem, viginti, aut triginta fortes culmos cum plenîs suis aristis producat, & centuplos fructus ferat.

Pari modo nonnullis amicis ostendetur, quomodo Salpetræ tanquam præcipuus dictæ facultatis crescendi adjutor feratur, & centuplo fructuum emolumento labores susceptos compen-set. Etenim se multiplicat, & enascitur Salpetræ ex vulgari Sale sicut cætera vegetabilia; unde vetus illud Proverbium, Salem serere, forsan originem suam duxisse suspicor.

Alius adhuc crescendi facultatis mirabilis in meo Laboratorio Secreto ostendendæ, si Deo placuerit, mentionem hic faciam oportet. Ea hæc est, quod Aurum & Argentum, ut ex sterco-rata, & falsa terra Vegetabilium semina, ex crasso Saturno incrementa sumant, & nascendo multiplicentur, ita ut quinquaginta unciis unius, si non duarum quotidie augmentum accedat. Qui hîc bonus Agricola fuerit, & quidem peritus Saturnum arandi, & fertilem reddendi, ac bonum
ipfi

ipsi aptumque semen inferendi, nã ille locupletem messem, sementi factæ respondentem adipiscetur, ac facilè triplò aut quadruplò tantum lucrabitur.

Quia igitur omnis crescendi facultas Vegetabilium, Animalium, & Mineralium, seu Metallorum, ad solum & universalem terræ Salem, hic verò ad Maris Salem, Sal autem Maris ad Solem ortum suum refert, intermittere non potero, si mihi vitam Divina Benignitas largita fuerit, quin Amicis exhibiturus sim, quam paucò labore & sumptu Universalis pinguedo salsa ad omnes steriles & arenosos campos loco vaccini stercoreis pinguefaciendos, & fertiles reddendos apta & idonea copiosè ex Aqua Marina separari possit. Imò necessitate postulante facili negotio demonstrare possem, etiam naturale Semen Auri, veram illam Medicinam Universalem, ex eadem parari, sive ex illo unicuique noto & visibili Oceano acquiri. Quod tamen cum huc non pertineat, eum, qui rerum adeò subtilium gnarus esse cupit, ad nostrum de Salium Natura opusculum remittimus, ubi ea offendet, quæ ipsius desiderio satisfacient.

Horum & similium experimentorum rarorum pariter & præstantium plura & varia in meo Laboratorio in conspectum producentur. Inter omnia excellet illud, cujus adjumento cujusvis conditionis hominibus, sive summi sive imi fuerint, sine cujusquam incommodo, summâ cum tranquill-

quillitate, sibi de victu & amictu honesto prospicere licebit. Non hic extimescenda sunt infinita discrimina inconstantis fortunæ, navigationibus periculosis, aut cruentis bellis & præliis mortales affligentis, aut periculosis, & astutis technis animæ & corpori perniciem atque interitum procreantis: Sed sine conscientia ullâ læsione cuique domi suæ totius familiæ quietâ & honestâ sustentatione frui integrum erit. Hinc quantum Utilitatis Mundo expectandum sit ex Laboratorio meo, nemo non facillè perspicit: Præcipuè autem in demonstratione quatuor donorum in meâ Continuatione Miraculi Mundi, quatuor conditionis hominibus, Rusticis puta & Agricolis, Mercatoribus, Medicis, & Magnatibus exhibitorum.

Ex his primum & minimum Vinitoribus, Hortulanis, & Agricolis donavi, monstrans viam & rationem omnis generis steriles, & arenosas terras sine bestiarum fimo, omnibus temporibus pinguefaciendi, ut singulis annis centuplos fructus afferant. Licet autem vile, & quasi nullius momenti esse appareat, cunctis tamen in mundo hominibus, divitibus & pauperibus, summis & imis quocunque tempore commodum & utilitatem haud exiguan parit.

Etenim vino, frumento, aliisque terræ frugibus, quarum nullus homo carere potest, copiosè singulis annis nascentibus, earum non modo divitibus abundantia magna suppetit, sed etiam
fieri

fieri non potest, quin & in pauperes de tantâ copiâ tantum redundet, ut panis frusto, & vini aut cerevisiæ haustu fruantur. Terrâ verò quovis tempore tantâ affluentia suos fructus edente, non modo in homines maximum emolumentum redundat, sed & bestię iisdem fructibus fruente majore numero augentur, ac multiplicantur, & mortalibus sustentatione, amictu & aliis multis ad vitam sustentandam necessariis rebus indigentibus tantò majus commodum conferunt. Hæc omnia Divinæ Benignitati nobis Salem maximè necessarium largienti summâ cum gratiarum actione accepta ferenda sunt. Primus ille Articulus in meâ Continuatione Miraculi Mundi probè relegatur, ut inde perspici queat, quantâ utilitate ars illa terras arenosas & steriles pinguefaciendi, & fertiles reddendi humanum Genus locupletare possit. Ea de causa in Laboratorio meo Publico non solum prælum illud lignorum, cujus in Continuatione Miraculi Mundi mentio facta est, sed etiam facilis illa mutatio Salis sterilis, in fertilitatem demonstrabitur.

Et quia secundum illud donum in mea Continuatione Miraculi Mundi, quod Mercatoribus dono dedi, ut Aurum & Argentum suum domi suæ tutò & sine periculo augere valeant, nonnullis forsan nimis difficile, & laboriosum videretur, neque hac in parte ipsis deero; atque id propter Amicis ostendam facilius Auri & Argenti augmentum, quod intellectu facile, etiam facili negotio

negotio unusquisque effectui dederit, nimirum ut centum aurei nummi singulis diebus ad minimum unius aurei incrementum sumant. Hoc secretum progressu temporis alicui utilius foret, quam grandes ipsius thesauri, & copiosa bona bellis ingruentibus sæpè à tergo relinquenda. Ars est in omnibus Mundi partibus utilissima, & in omnibus necessitatis casibus talis, quæ ex periculis aliquem expediat. Bonum prolecto Vade mecum, ultimum refugium, & thesaurus portatu facilis, qui nunquam consumi potest. Hæc & similes aliæ plures artes admodum utiles Amicis in Laboratorio meo monstrabuntur.

Certo autem scio illud, de quo neutiquam dubitandum, paucos nimirum fore, qui ea, quæ hic trado, credant, & intelligant. Nec permagnè etiam refert, cum facile patiar, ut nemo credat.

Siquidem verò de multis mirabilibus rebus scripsi, & multi eas fieri non posse clamitarunt, intermittere non potui, quin verissimis meis scriptis infallibile testimonium Oculari demonstratione in Laboratorio meo darem, & fidem indubitata facerem. Ut ita non solum omnia mea scripta ab ignorantium Verveum injuriis & calumniis vindicarem, sed etiam proximo meo, meisque liberis inservirem, & aliquid boni relinquerem.

Jam enim ad seniles annos properans, igni, aliisque laboribus molestis non amplius sum per-

C

feren-

ferendis : Liberi autem mei adhuc parvi, & nullâ doctrinâ imbuti ad aliquid in manus capessendum, quo sibi de victu & amictu prospiciant, inepti sunt, atque multò minus idonei, qui à me doceantur ea, quæ ad panem lucrandum conferunt : Prætereà incertum est, si ipsis Secreta quædam scriptis mandata relinquerem, in cujus manus ea pervenire possent, Inimicorum forsan citius in manus inciderent, quàm Amicorum, idque cum magno liberorum meorum damno, qui hâc ratione iis plane exciderent.

Si verò adhuc vivus tam præstantia, & Utilia Secreta nonnullis Amicorum meorum revelavero, & ipsis ostendero, cujus utilitatis participes fieri queant, eâ tamen conditione, ut meis liberis, ubi jam ad eos annos pervenerint, ut ad percipiendum & tractandum talia idonei sint; ea rursus communicent, quorum à me participes facti sunt. Si inquam decem aut duodecim ejusmodi Amicis tam utilia Secreta patefecero, & inter eos unus & alter ejus fuerit candoris & integritatis, ut beneficiorum à me acceptorum memores liberos eorum secretorum, quæ à me didicerunt, cognitione imbuant, ars hæc penitus in familiâ meâ, & inter meos non intermoriatur, & mei unâ fruentur iis, quæ aliis in Laboratorio meo monstrata ipsi etiam antea aspexerunt. Sin mihi tamdiu Deus vitam prorogaverit, ut meos jam capaces ipse iis ipsis artibus imbuam, tantò melius erit, nec ipsi opus habebunt, ut alieno

auxi-

auxilio fulciantur, & raræ fidei Amicorum confidant. Mihi profectò adhuc jam viventi pro multis meis beneficiis nulla gratia refertur ab iis, qui iisdem à me affecti sunt: Quid post mortem meam futurum sit, facili conjecturâ augurari possum. Non tamen omnes adeò leves futuros spero, ut, instar Farneri istius perfidi, fidem datam fracturi sint. Si ex decem unus tantum rediens acceptorum beneficiorum recordatur, conatus mei laudabiles non frustrâ fuere: Ex decem leprosis unus duntaxat reversus Christo pro restituta valetudine gratias egit; cæteri novem ingratiſſimâ oblivione beneficium à Christo acceptum ex memoriâ suâ deleverunt. Meam sortem Christi sorte fortunatiorem mihi non persuadeo, ac pro beneficiis maleficia accipere assuetus sum. Hujus præsentis mundi conditio & status nihil aliud secum fert, adeò ut nihil mihi aliud expectandum credam, quam Mundi mercedem usitatam mihi pro beneficiis meis redditum iri. A benefaciendo tamen non cessabo: Quæ homines non agnoscunt, ea Deus agnoscat, in quo acquiesco.

Maximum verò antedictum Laboratorium instituendi incitamentum hoc est, ut Calumniatorum ora impura obturentur, mea Secreta partim nonnullis Amicis adhuc patefiant, & miracula, ac magna Dei dona posteritati relinquantur. Meæ Personæ causâ tantum laborem, & tantam inquietudinem non suscipio, sed quæ-

cunque facio, ea Dei unius honorem, & proximi commodum, quibus duabus rebus à Creatione Divinâ devinctus sum, spectare omninò quisque sciat.

Si igitur in dicto meo Laboratorio multa præstantia & hætenus incognita secreta utilissima, quæ multa commoda Generi Humano afferent, revelata, & posteritati relictæ fuerint, fieri non potest quin mihi in Mundo immortale nomen superstes sit futurum. Imò quia Deus bonum nunquam sine compensatione dimittit, nunquam perituum in cælo thesaurum colligo. An unquam terrestria hæc dona & munera, quæ mihi Benignus Creator meus largitus est, melius collocare possem, quam si ea peritura cum æternis thesauris permutem?

Quia jam tempus illud adest, quo Deus justissimus vindex de hoc perverso Mundo, justissimo suo judicio meritum supplicium sumpturus, & quidem celeriter, atque inopinatò, prius quam putaremus, totum Orbem terræ ferro, igne, fame, & miseriâ consumpturus erit, adeò potens tamen est, ut ab æterno potens fuit, ut divinâ suâ Omnipotentiâ per parvum cætum piorum contra talem ignem tueri possit. Sine mediis tamen id facere non solet. Ad piam viduam Sareptanam misit Eliam Prophetam, ut illius cados olearios repleret: Eliæ ipsi dedit juniperum, sub quâ quiesceret, & lateret, ne ab hostibus deprehenderetur: Siti confectæ ferè Hagari per angelum

gelum ostendit aquæ scaturiginem, quâ se atque Ismaëlem suum recrearet, & vivos conservaret: Pio Lotho trans montem ostendit oppidulum, in quo se abscondens cœlestis ignis impetui se subtraheret. Pari ratione spem firmam concepi, Laboratorium meum Jacobitis fame grassante Josephum, Ismaëlitis vivam aquæ scaturiginem, Eliæ filiis Juniperum, & pauperibus viduis Sareptanis perpetuum cadum olearium futurum esse.

F I N I S.



